

Band II



L 5 459.3

Archiv 104

No 545-704.

VIRO
 MAGNIFICO,
 EXCELLENTISSIMO, AMPLISSIMO,
 DOCTISSIMO,
 ERDMANNO GOTTLIEB
 PÜCHLERO,

ICTO CELEBERRIMO,
 CONSULI
 DE OMNI REPUBLICA OPTIME MERENTI,

TERTIVM CONSVLATVM

DIE x. FEBRVARII, clcclccclxxxiiii.

FELICITER INITVM,


PIETATIS ATQVE OFFICII MEMORES

GRATVLABANTVR

GYMNASII BVDISSENSIS COLLEGAE.

BVDISSAE,

EX TYPOGRAPHIA VIDVAE SCHOLTZIAE.



Mittit ab extremis, quam non habet ipse, salutem,
Officium tenui charta obeunte, scholis.
Namque malæ febris propius contingere fasces
Rite novos prorsus vis inimica vetat.
Conantemque volare, vocat quo turba fauentum,
Tardat, vt aduerso flamine picta ratis.
Sed quid ego morbum narro, morbique labores,
Quos satis est ægro tam cecidisse graues?
Non hæc conueniunt gratantis vocibus vrbis;
Consulis iste dies lætius omen amat.
Ergo Püchlero, quam non habet ipse, salutem
Mittit ab extremis pro pietate scholis.
Richteri similis sit nostri Consulis annus!
Quid maius voueat, pulcra Budissa, Tibi?

M. Christophorus Hieremias Rostius,
Rector.

Vota facit Consul, festam renouantia lucem,
Imperioque graui sidera fausta parat.
Alite tam niuea sacro succedit honori,
Lætus et aggreditur, ceu solet, vrbis onus.
En tibi Püchlerus venit, Tutela bonorum,
Quo duce non ciues sæua pericla timent.
Cura gregis curam velut vnda super ruit vndam,
Atque boni lassat pectora cara Patris.
Ante niuem Geticam vel dinumerabis arenas,
Quot passim Sueui litora flaua tegunt:
Quam tenui plectro dicas tot pondera rerum,
Commoda quas patriæ iuraque sancta ferunt.
Dicite vos Placidum, musæ, populique Parentem,
Cui rursus ciues ore animisque fauent.
Ast ego tura feram cælumque precantia verba,
Consulis vt felix tertius annus eat.
Hæc nostro melius signabitur area curru,
Officioque leui sit satis esse pium.
Ad superos faciles orantia brachia tendo:
Ducite Püchleri numina certa ratem.
Richteroque dabunt grates et præmia longa,
Cuius spectata est tempus in omne fides.
Munera cum saluo reddentur Consule templis,
Mæoniam poscent fortiter acta tubam.

M. Ioannes Theophilus Coberus,
Conrector.

Iamiam purpureis altaria cinge coronis,
Cara Budissa, grauis, grata memorque, Viri,
Verbenasque adole pingues et mascula thura
Fumanti repleant recta sacrata sono.
De patera vini generosi funde liquorem,
Et liba memori mente, Budissa, Deo.

Neſte, Thalia, meo Richtero ferta roſaſque,
 Floribus illius tempora cinge nouis.
 Mæonii digni cantari carmine vatis,
 Lesboo plectro Pindaricaque fide.
 Ex quo ſigna polo Phæbus duodena peregit,
 Multa Budiffinis præſtitit ille bona,
 Quæ ſemper noſtris hærebunt fixa medullis,
 Haud vnquam Lethes diſſoluentur aquis.
 Puchlerum video moderari ſceptra Budiffæ,
 Puchlerum, noſtri delicias populi.
 Hic ætate grauis magno ſenioque verendus
 Ipſe tamen iuuenis cuncta vigore regit,
 Atque animo captat præſenti rebus in arctis
 Conſilium ciues auxilioque leuat.
 Sæpe gubernauit multa cum laude Budiffam,
 Et meritæ laudis præmia multa tulit:
 Iamque gubernabit conſueto more Budiffam
 Et meritæ laudis præmia multa feret.
 Puchleri laudes et honos nomenque manebunt,
 Urbis dum noſtræ mœnia firma manent.
 Viribus exhaustis, ponit Calmannus eburnum
 Sceptrum, teque ſenex, curia ſancta, fugit.
 Recte factorum, Numen, non immemor vnquam
 Eſſe ſoles, alium, ſis memor uſque Mei.
 Incorrupta fides, fallacis neſcia fuci,
 Mens, veri ſtudium dona fuere Viri,
 Quem tu, grata Budiffa, coles, dum ſidera paſcet
 Cælum, dum liquidas piſcis amabit aquas.
 Augustus Samuel Faber,
 Subr.

Debita nunc mens eſt perſoluere vota, Patroni,
 Queis mentem rectam ſignificemque piam.
 Splendida verba nec expromo, non arte polita
 Pierides nec iam commemoraffe iuuat.
 Vndique nam pia vota exquirere non mihi laus eſt;
 Profero, quæ dictant officium ac pietas.
 Candida terrigenis iam vota, deoque placebunt,
 Nec Vobis, Patres, candida diſpliceant. —
 Proſpera conſpiciat Veſter clariffimus ordo,
 Quæ Vos ac ciues lætitia cumulent!
 Gloria, proſperitaſque ſalus contingat abunde
 Richtero, qui nunc tradidit imperium,
 Tradidit aſt Illi moderaminis vrbis habenas,
 Cui ſceptrum fulgens imperiumque fuit;
 Dudum iam nouit Puchlerus ſceptra Budiffæ,
 Quæ ſæpe, ut teneat, curia et vrbſque petunt.
 Aſt, Callmanne vigil, poſt tantos totque labores,
 Quos Tibi Baudiffæ quondam amor impoſuit,
 Faſces deponis plane; Sed gratia reſtat,
 Quæ mentes noſtras grataque corda reget,
 Vtque queas, opto, traducere leniter æuum;
 Vixiſti nobis, cætera viuere Tibi.

Ioannes Samuel Petri,
 Cant. ciuitatis, Dir. Muſ. et Colleg. Gymn.

Iam redeunt nobis solemnia gaudia rursus,
Quæ Patrum cura nostra Budiffa capit.
Iustitia insignis, nulli pietate secundus,
Richterus Consul nobile tradit ebur.
Plausu Te regimenque Tuum comitantur amici,
Et ciues celebrant laudibus acta Tua.
Puchleri replet regiones fama perennis,
Illius effugient maxima facta rogos.
Ex omni precor imperium sit parte beatum
Nec carpat morbus languida membra grauis.
Auxiliumque ferat celsi moderator Olympi,
Si res difficiles pectora sæpe grauant.
Subscribet votis, qui terras, sidera, pontum
Diuino nutu consilioque regit.


Johannes Georgius Rauffendorff,
Coll. V.

Sic fida, Richtere, manu, plaudente corona
Budiffæ densa, per Te iam largius vrbis
Reddis adornatæ grauibus splendentia sceptris
Patribus. Alma Tibi pax ciuis, curia iusta,
Templa, scholæ pietas scalpunt æterna tropæa.
Calmanni certa læti redeunte salute,
Cepimus, at frustra, summa dulcedine nostra
Pectora mulcentem spem, Te, Calmanne, videre
Consulis officio Budiffæ sceptris tenentem;
Quæ spes deseruit fegetes nutantia prata
Largas. At certum capias tamen vrbis amoris
Signum! Ciuilis Tibi sancte gratia iurat,
Templa Tibi iurant, iurauit curia grata,
Cui dulci properat schola sese nectere vinclo.
Non famæ deerunt vnquam monumenta perenni.
Plaudite Puchlero accipienti splendida sceptris!
Consule, dulce caput, Te mœnia tuta quiete
Assurgunt; saluum Te curia læta salutatur;
Templa Tua cura superis pietate placebunt,
Augebuntque scholam Te Consule gaudia nostram.

Ehrenfried Traugott Demuth,
Coll. VI. et Mathem.

Conuenit, exsultes nimium dilecta Budiffa,
Inque aris templi thura Sabæa cremes,
Conuenit in sancto veneranda caterua Senatus
Consiliique pii iustitiæque loco.
Iamiam sollicita communia mente volutant
Commoda, conciui præsidiumque parant.
Præmia Richtero tribuas insignia nostro
Pro studio multo proque labore graui.
Insignemque virum dextra tueare potenti
Vrbis, qui sumit sceptris verenda, Deus.
Cum sis iam multis annis, Püchlere, grauatus
Numen det vires corporis ac animi.

Christoph Schwer,
Collega Adj.



Oberlausitzische Bibl. Görlitz



1066905 1